

Quia in totius artis serie non sunt nisi duo particularia quæ particulariter perficiuntur secundū philosophos & naturam. Primum particulare, tam in albo quam in rubeo existit in Mercurio, sine administratione medicinæ perfectæ, Quamuis bene corpus cum quo perficitur in se occulte ipsius tincturam continet, veluti natura requirit.

Primum quod in eo particulariter perficitur ex utraq; specie rerum est illud. Cum Mercurius ex prima materia omnium metallorum compositus ex terra nimium alba, sulphurea & aqua clara. Et ideo, albedo terræ transparet limpiditatem aquæ, & est color in eo albilissimus, vt docet experientia. Et continet in se sulphur bonum maturum & mundum, tunc possibile est ex eo particulariter fieri solē & lunam. Philosophus. Admiscetur per artificium alijs corporibus metallicis, quia est de natura eorum, & ipsa generata sunt ab eo. Et ideo per artificium fieri potest, vt imitetur naturam digestam in illud, vt cum eis perficiatur. Et sic quibus complectitur metallis fit simile illis, sine aliqua admixtione extranea, Cum simpliciter natura gaudet suæ naturæ, & non per aliquod extraneum. Sed cum sole fit sol, cum luna, luna, cum venere venus, &c. Cum vnumquodq; mittit in illud vim suam,